



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. IV. De Justitia commutativa.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

tēm. Sed definitio proportionis est Arithmeticae artis propria, hujus verò heterogenea.

In quibus autem quatuor minimis justus consistet?

Quia inter quos jus est, duo sunt: in quibus autem cernitur jus, itidem res duæ sunt.

Qualis proportio convenit justitiæ distributivæ?

Proportio duplex traditur ab Arithmeticis: explicata vel disjuncta, quæ expressè quatuor terminis utitur, & conjuncta, quæ tribus tantum constat. Illa dicitur Arithmetica: hæc vero Geometrica. Distributivæ autem Justitiæ convenit proportio Geometrica.

Qui hoc ostendis?

Quemadmodum in Geometrica proportionem, numerorum: ita hic rerum & personarum convenientia spectatur & proportio: ut nimirum unicuique conveniens & idoneum manus tribuatur, rerum peritis gubernatio reipublicæ, rudibus aliis servitia alia.

CAP. IV.

De Justitia commutativa.

In justitia commutativa quanam proportio observanda?

Arithmetica.

Quaratione hæc convenit justitiæ commutativæ?

Quod quemadmodum in Arithmetica proportionem ubique æqualis numerorum differentia observatur: Similiter in hac justitiæ spe-

cie, nulla habita personarum ratione, tantum exacta servatur æqualitas, nempe vel damni vel lucri.

Ergone justitia commutativa medium quiddam erit inter damnum & lucrum?

Omnino. Videndum enim ne aliis noceamus aut nimium lucro, præsertim illicito inhiemus.

Quis est executor hujus justitiae?

Judex. Hic enim est $\epsilon\mu\phi\epsilon\lambda\omicron\nu\ \delta\iota\kappa\alpha\sigma\tau\omicron\nu$, ius arbitratum, sive viva justitia: dicitur etiam arbitratum honorarius, item sequester.

Quo sensu Græcis ius dicitur $\delta\iota\kappa\alpha\sigma\tau\omicron\nu$?

A $\delta\iota\chi\alpha$ & $\delta\iota\nu$, q. $\delta\iota\chi\epsilon\omega\sigma\tau\omicron\nu$, quod totum bifariam & tamen in æquas partes dividat. Unde $\delta\iota\chi\epsilon\omega\sigma\tau\omicron\nu$ quasi $\delta\iota\chi\alpha\sigma\tau\omicron\nu$, divisor vel adæquator.

Quodnam igitur officium est iudicis?

Qualemcumque injuriam ad æqualitatem absque omni personarum respectu traducere. Ut si emptor aliquis venditorem circumvenit, ut is octoginta tantum aureos retineat: cum ante contractum uterque habuisset centum: iudicis erit viginti aureos emptori detractos venditori adjicere.

Præcipiturne etiam hæc æqualitas in lege civili?

*L. 2. C. de
resc. vend.*

Non exacte in illa observatur. Jurisconsulti enim permittunt eumentibus & vendentibus inter se circumscribere, nec datur $\alpha\delta\iota\kappa\alpha\sigma\tau\omicron\nu$ actio, nisi ultra dimidiam pretii partem fuerit deceptus.

Ergo semper damnum pro damno reddendum?

Sic quidem præcipit lex Talionis.

CAP. V.

Πηλ' ἢ ἀπ' ἀπονοίας, De lege Talionis.

Jus Talionis quale est?

Si quod quisque facit, idem patriatur: sicut *Exod. 21.*
monet versus ille qui Rhadamantho adscribi- *Deut. 19.*
tur: Cuique pari si retuleris par, jus æquum e- *Luce 6.*
rit, ut oculum aliis eruenti oculus eruatur.

Estne hac lex semper justa?

Pythagoræi quidem eam ratam habuerunt.
Non videtur autem universaliter in omnibus
locum habere.

Quibus argumentis hoc demonstras?

1. Quia permultum interest, utrum volen- *L. quicquid*
tes & sciētes, an verò inviti vel per impruden- *C. de ser.*
tiam peccemus, aut quippiam faciamus. Ignor- *fug. l. in o-*
rantia enim peccati sæpe excusat. *mi parte.*

2. Deinde, quod qui incæperit & prior in- *ff. de juris*
iuriā intulerit, graviore pœna videtur dignus, *& facti*
quam ut simpliciter mutuum patriatur. Et in *igno. l. si*
legibus civilibus plus sæpe vilis persona quàm *criminis,*
nobilis. *& l. servos.*

3. Tertiò, quod in contractibus quibusli- *C. ad l. Jul.*
bet non semper locum habere videtur. *de vi publ.*

Non enim semper fieri potest commutatio *& rub. ff.*
rerum simpliciter similium aut æqualium, ut *de incen.*
libra ferri, & libra auri. Et de hisce in primis *ruina,*
vide Christum Matt. 5. ubi legem Talionis re- *nauf.*
probat.